W f 1725

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-731707-p0001-6

III, 16.

216.

III, 16.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-731707-p0002-1

DE
SVMMIS. SERENISSIMAE. GENTIS. ERNESTINAE
IN. REM. ALTENBVRGENSIVM. SCHOLASTICAM
MERITIS

PROGRAMMA. XIIII

QVO
AD
SERENISSIMI. PRINCIPIS. AC. DOMINI

DOMINI
FRIDERICI. III

DVCIS. SAXONIAE
IVLIACI. CLIVIAE. MONTIVM. ANGRIAE. QVOQVE. ET
WESTPHALIAE. LANDGRAVII. THVRINGIAE. MARCHIONIS. MISNIAE
PRINCIPIS. COMITIS. HENNEBERGAE. COMITIS. MARCAE. ET
RAVENSBERGAE. DYNASTAE. RAVENSTEINII
ET. TONNAE
PRINCIPIS. AC. DOMINI. NOSTRI
LONGE. CLEMENTISSIMI
PATRIS. PATRIAE. OPTIMI
D. VII. KAL. MAII. cIↃ IↃ CCLXVIII
AD. VOTVM. OMNIVM
PROSPERRIME. REVERSVM

NATALEM. MAXIME. LAETABILEM

CRAS
AVDITA. POST. MERIDIEM. HORA. IV
IN. ILLVSTRI. GYMNASIO. FRIDERICIANO
PIE. CONCELEBRANDVM
PERILLVSTRES. GENEROSISSIMI. EXCELLENTISSIMI. AMPLISSIMI. AVLAE. ATQVE. VRBIS. PROCERES
MAECENATES. MAXIMI
CVRATORES. GYMNASII. GRAVISSIMI
RELIQVI. REI. NOSTRAE. SCHOLASTICAE. FAVTORES
O. O. EXOPTATISSIMI
VT
QVINQVE. SELECTI. ORDINIS. IVVENES. EXIMIAE. INDOLIS
EOSQVE. OMNIVM. GRATIA. AC. BENEVOLENTIA. DIGNOS
PVBLICE. DICTVROS. ET. VOTA. FACTVROS
INDVLGENTER. ET. BENIGNE. AVDIANT
DEMISSE. ROGANTVR. AC. DECENTER. INVITANTVR
A
M. IOANNE. GOTTFRIDO. MOERLINO
ILL. GYMNASII. FRIDERICIANI. DIRECTORE
LATINAE. IENENSIVM. SOCIETATIS. COLLEGA. HONORARIO

ALTENBVRGI. EX. OFFICINA. RICHTERIA.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-731707-p0003-7

Conſeruatricem DEI O. M. gratiam hoc praeſertim tempore, quod maxime laetabili SERENISSIMI. PRINCIPIPIS. AC. DOMINI. NOSTRI. FRIDERICI III. DVCIS. SAXONIAE. GOTHANAE. ATQVE. ALTENBVRGICAE. PATRIS. PATRIAE. LONGE. OPTIMI Natali ſacrum eſt, demiſſi gratique veneramur. Huic enim bonum, omnibus imperio ſubiectis prae ceteris omnibus exoptabile, debemus, SALVVM. PRINCIPEM. Auertit DEVS, quod veriti eramus, ne perpeſſu aſperrimo caſu, vires, non magni animi, quid enim eo conſtantius? ſed corporis certe debilitarentur. Viget, veget, ad votum valet. Valeant porro pia vota, valeant diu! ratae ſint preces, quibus NVMEN etiam in Illuſtri Gymnaſio Fridericiano adoramus ſemperque, vt debemus, adorabimus, vt longaeuitatem eamque omnibus in vita expetendis cumulatam MERENTISSIMO largiatur.

Panegyrin eum ad finem indicturus, priusquam Auditores O. O. Honoratiſſimos atque Exoptatiſſimos ad eam, qua decet obſeruantia inuito, quam olim ſumſi de SVMMIS. SERENISSIMAE. GENTIS. ERNESTINAE. IN. REM. ALTENBVRGENSIVM. SCHOLASTICAM. MERITIS materiam continuabo, et ea, quibus DIVI. FRIDERICI. GVILIELMI. POSTVMI prouidentia enituit, commemorare pergam. Tantum enim abeſt, vt ſolis donatiuis, quibus muſarum caſtra ſequentes recreantur, meritorum magnitudo contineatur, vt potius multo plura et maiora huc referri iisque adnumerari debeant inprimisque ſingularis illa rei ſacrae et litterariae cura, qua primarios ſcholae curatores doctoresque dignatus eſt deditque, de quibus iam agendum eſt. Fuerunt illi D. Aegidius Hunnius et D. Martinus Caſelius, ambo Superintendentes Generales, Tobias Seifartus et Georgius Crauſerus, Rectores.

D. AEGIDIVS. HVNNIVS. *Secundus* a Gottero (*a*) dictus, qui de eo ſcribit: *Mea quidem ſententia noſter Hunnius dignus eſt, qui ſecundus vocetur, cum ſoli patri ſecundus extiterit*. Vitembergae anno cIↃ IↃ XCIV. d. XIX. Martii, patre magni inter doctores euangelicos nominis *D. Aegidio Hunnio*, Profeſſore Theologiae et Generali Ephoro natus, nouemque annorum puer, orbitatis miſeriam expertus, tamen a deſtinatione ſtudendi abſtrahi non potuit, fratre *Nicolao Hunnio*, tum quidem Vitembergae Profeſſore, poſtea vero per viginti annos Lubecenſium Superintendente curam educationis ſuſcipiente, cuius hortatu propriaque diligentia tantum profecit, vt viginti annos natus in academia patria A. cIↃ IↃ CXIV. Philoſophiae Magiſter creatus, variis praeclarae eruditionis ſpeciminibus editis, inclaruerit atque a Spectabili Philoſophorum ordine Adiunctus cooptatus ſit, cuius etiam non ita multo poſt Decanatum laudabiliter geſſit. Sanctioris diſciplinae ſtudio deditus alias etiam Germaniae Academias adeundi conſilium cepit, non tantum Vitembergenſium Theologorum teſtimoniis inſtructus, ſed etiam Ipſius SERENISSIMI SAXONIAE. ELECTORIS. IO. GEORGII. I. commendatitiis ornatus litteris. Vitemberga igitur digreſſus, Gieſſam A. cIↃ IↃ CXIIX. adiit, ibique per biennium commoratus apud ſummos tum ſacri ordinis viros *D. Balthaſarem Menzerum*, et *D. Iuſtum Feuerbornium* inprimis gratioſus fuit. Inde cum alias etiam Germaniae ſtudiorum Vniuerſitates vrbesque celebres inuiſiſſet, Argentoratum conceſſit ibique aliquamdiu commoratus, A. cIↃ IↃ CXXII Vitem-

(*a*) FRID. GOTTH. GOTTER *in Elogiis clarorum virorum, qui Altenburgum illuſtrarunt*. p. 38.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-731707-p0004-3

Vitembergam rediit, precibus piae matris (*b*) reuocatus. Redux igitur eodem ſtatim anno, d. XXX. Auguſti, habita ſub *Balthaſaris Meiſneri* praeſidio ſolemni diſputatione pro Licentia Theologiae Doctoris adſumendi titulum (*c*) *de grauiſſimis pontificiorum criminibus, quae circa locum de* FILIO DEI *committunt* (*d*), menſe Octobri A. cIↄ Iↄ CXXII. Sangerhuſanae Eccleſiae Ephorus factus, interiecto anno, d. XVI. Octobr. cIↄ Iↄ CXXIII. Theologiae Doctor renuntiatus eſt. Per Biennium, cum apud Sangerhuſanos fuiſſet, tandem a SERENISSIMO. IO. PHILIPPO Altenburgum vocatus, grauiſſimum Generalis Superintendentis munus d. XXII Octobr. A. cIↄ Iↄ CXXIV in ſe ſuſcepit Sacrique Conſiſtorii Eccleſiaſtici Adſeſſor conſtitutus eſt. Gotterus (*e*) quidem Conſiliarii Eccleſiaſtici dignitatem ei oblatam ſcribit, ſed ante Brokium non niſi Adſeſſoris titulo ornatos fuiſſe ſuperiores, teſtantur Mülleri (*f*) verba de Brokio ſcribentis: *Generalis per Ducatum hunc Superintendentis, Primarii Aulae Concionatoris et Hagio-Synedrii Adſeſſoris axioma, quod vltimum deinde in* ECCLESIASTICI. CONSILIARII *titulum mutatum eſt, ſolemniter adſumſit.* Fidem eius et conſtantiam duae inprimis temporum calamitates inluſtrarunt, belli, quo ab hoſtibus captos ſolatio recreauit, et peſtilentiae, qua ſaeuiente, morbo correptos ipſe ſacrarum epularum viatico inſtruxit exſtinctosque cum vnico Collega, reliquis defunctis, ad ſepulcretum deduxit. Varia ſcripſit, ſed in quibus enumerandis cautione opus eſt, cum conſtet, patri cognominem fuiſſe. Praeter *Contemplationes Metaphyſicas* Vitemb. cIↄ Iↄ CXXI editas et ſupra ſcriptam diſputationem inauguralem *de Pontificiorum criminibus circa locum* de FILIO DEI, a Gottero (*g*) quatuor indicatur diſſertationes, de *Imagine Dei*, de *Coena Domini aduerſus Paulum Steinium, concionatorem aulicum Caſſelianum*, de *praedeſtinatione*, de *Sacra Scriptura.* Pulmonibus exulceratis phthiſi in ipſo aetatis flore exſiccatus eſt, anno aetatis XLIX d. XXIX Aprilis. Emortualis anni mentio dubia videri poſſet, Gottero (*h*) cIↄ Iↄ CXLII, Müllero (*i*) cIↄ Iↄ CXLIX ponente, vnde etiam in priore Lexici eruditorum editione ambigue ſcriptum fuit: *woſelbſt er 1642 oder 1649 geſtorben*, ſed ſequimur inſcriptionem, imaginini pie defuncti in Aede diuo Bartholomaeo apud nos ſacra pone aram conſpiciendae ſubiectam:

AEGIDIVS HVNNIVS, AEGIDI HVNNI, MAGNI GER
MANI THEOLOGI, FILIVS, S. S. THEOLOGIAE DOCTOR
SVPERINTENDENS SAXO-ALTENBVRGICVS GENERA
LIS ET ASSESSOR CONSISTORII, PER 18. ANNOS,
NASCEBATVR WITEBERGAE ANNO 1594. DIE
19. MARTII, MORIEBATVR VERO ALTENBVRGI,
DIE 29. APRILIS, ANNO 1642, AETATIS SVAE 49.

Excepit hunc vir doctrina, probitate et meritis maxime venerabilis, D. MARTINVS CASELIVS. Geminata littera Caſſelium etiam ſcriptum (*k*) obſeruaui, ſed praeterquam quod Müllerus (*l*), ipſe etiam nomen ſuum ſcribens, Caſelium ſe ſcripſit, publica quoque inſcriptio vſitatam ſcribendi rationem tuetur. Berguizii in agro Vitembergenſi cIↄ Iↄ CIIX d. VIII. Nouembr. natus, patrem habuit *Ioannem Caſelium* ſacri ordinis virum et vita et doctrina eximium. Trimulus, cum peſtilenti aëre adflatus grauiter decubuiſſet, mater votum nuncupauerat, ſi conualeſceret, ſe eum DEI miniſterio conſecraturam eſſe, cuius etiam voluntati lubens obſecundauit. Septem annos natus in ludum Kembergenſem miſſus eſt, iis doctrinis, quibus puerilis aetas impertiri debet, erudiendus, inde Vitembergam translatus docilitate ingenii diſcendique cupiditate eos fecit progreſſus, vt maturus iam ſtudiis altioribus A. cIↄ Iↄ CXXV albo ciuium academicorum adſcribi potuerit. Celebres tum ibi erant *Io. Scharfius, Nic. Zapfius, Eraſmus Schmidius, Auguſtus Buchnerus, Iacobus Wellerus*, inter Theologos vero praecipua laude florebant *Paulus Roeberus, Iacobus Martini, Guilielmus Lyſerus, Ioannes Hülſemannus*, quibus vſus doctoribus, tanta in ſtudiis incrementa ceperat, vt A. cIↄ Iↄ XXIX. Philoſophiae Magiſter, A. cIↄ Iↄ CXXXIII, Facultatis Philoſophicae Adiunctus creatus, poſtea ſtudioſae iuuentuti multum profuerit, habitisque quod fere incredibile dictu, tribus et ſeptuaginta collegiis doctrinae varietatem et magnitudinem probauerit, iam legendo, iam diſputando, iam repetendo induſtriam eius acuens atque exercens. Sic ſe gerenti praemia deeſſe non poterant. Anno enim cIↄ Iↄ CXXXVII. a SERENISSIMO. ELECTORE. SAXONIAE. Ieſſenſis dioeceſeos Superintendens conſtitutus, proxime ſecuto anno Licentiatus, breuique poſt Doctor Theologiae Vitembergae renuntiatus eſt, habita ſub *Iacobo Martini* ſolemni diſputatione de *Notis Eccleſiae.* A. cIↄ Iↄ CXLI. d. XIX. Septembr. a SERENISSIMO. DVCE FRIDERICO. GVILIELMO. POSTVMO celebritate nominis eius atque eruditionis permoto oblatum arduum Concionatoris aulae primarii et Adſeſſoris Conſiſtoriani cum ſuſcepiſſet munus, digniſſimus eſt habitus, in quem morte b. Hunnii vacua Generalis Superintendentis ſumma dignitas transferretur, ea tamen lege, vt ſimul PRINCIPIS a Concionibus ſacris eſſe pergeret, quocirca bene a Müllero (*m*) obſeruatum eſt: *Ea ratione primus Ephororum Generalium fuit,*

(*b*) FR. GOTTH. GOTTER l. c. p. 39.
(*c*) IO. MVLLER *in Schediasmate de Altenburgenſis Eccleſiae Praeſulibus.*
(*d*) GOTTER l. c.
(*e*) IDEM ibid.
(*f*) IO. MVLLER *in Schediasmate.*
(*g*) GOTTER l. c.
(*h*) IDEM l. c. p. 40.
(*i*) IO. MVLLER *in ſchediaſmate.*
(*k*) apud GOTTERVM in *Elogiis* p. 49. 51.
(*l*) IO. MVLLER. *in Schediaſmate.*
(*m*) IDEM. l. c.

fuit, quos PATRES. PATRIAE *ſimul Aulae ſuae Nathanes eſſe voluerunt.* Quanta integritate et cura ampliſſima munera obierit, non tantum ſingularis eius circa viduarum fiſcos prouidentia (*n*) documento eſt, ſed inprimis etiam promouendae inſtitutionis catecheticae ſtudium teſtatur. Totus enim in eo fuit, vt pueri puellaeque doctrinae chriſtianae praecepta optime haberent percepta, qua in re non parum SERENISSIMI. DVCIS. FRIDERICI. GVILIELMI. POSTVMI eum confirmauit pietatis promouendae ſtudium, quod ipſum in ſummis Eius in rem ſcholaſticam meritis ſummo iure ponendum. Cuius iuſſu non tantum A. cIↄ Iↄ CXLIII *Praxin Catecheticam*, ſed etiam, triennio interiecto *Breuiarum* eius publicauit, quo hodieque vtimur, quod ipſa libelli praefatio teſtatur, vbi haec exſtant verba: *Denſelben* Catechiſmum *deſto beſſer zu verſtehen, iſt auf ſonderbahren gnaedigen Befehl des Durchlauchtigen Hochgebohrnen Fürſten vnd Herrn, Herrn Friederich Wilhelmen Hertzogen zu Sachſen, Jülich, Cleve vnd Berg, Landgrafen in Thüringen, Marggraffen zu Meiſſen, Grafen zu der Marck vnd Ravenſberg, Herrn zum Ravenſtein, meines gnaedigen Fürſten vnd Herrn, nicht allein vor dreyen Iahren die* Praxis Catechetica, *oder Lutheriſche Catechiſmus-Schule, ſondern auch aniezo einfaeltigen jungen Leuten zum beſten, dieſer Auszug verfertigt vnd in den Druck gegeben worden.* Sed reliquorum etiam huius viri ſcriptorum non obliteranda eſt memoria, a Gottero (*o*) bene commemoratorum. Regnabat adhuc in Philoſophia Ariſtoteles, quem et noſter, vt tum erant tempora ſecutus, tractatum de *accurato diſputandi genere*, *Syſtema metaphyſicum*, *Exercitationes metaphyſicas*, *Syſtema ethicum*, *Tabulas ethicas*, *politicas*, *aeconomicas* emiſit. Protulit ſe etiam optimeque oſtendit *in Diſputationibus contra Bellarminum et Wendelinum itemque in diſſertationibus philologicis, quibus epiſtolae Pauli plures contra aduerſariorum obiectiones vindicatae*, defendendis. Praeterea Diſputationes de *aeterna* CHRISTI *Deitate contra Photinianos*, et de *Sacra Coena contra Becanum* habuit. Denique *C. Quaeſtionibus contra Pontificios de lapſu primorum parentum ex Gen. cap. III* magnopere inclaruit. Sed variis morbis, inprimis malo hypochondriaco adfectus praematura morte pie obiit cIↄ Iↄ CLVI d. XIV Aprilis. Sub effigie viri immortaliter meriti, itidem in Aede Bartholomaeana pone aram erecta haec leguntur:

MARTINVS. CASELIVS. S. S. THEOL. D. SVPERINTENDENS. ALTENBVRGI GENERALIS. CONCIONATOR. AVLICVS. ET. PROTOSYNEDRII. ASSESSOR NATVS. PERGWITZI. PAGO. PRAEFECTVRAE. WITEBERGENSIS. ANNO MDCIIX. DIE. IX. NOVEMB. DENATVS. ALTENBVRGI. ANNO. MDCLVI. DIE. XIV. APRILIS. AETATIS. SVAE. XLVII

Reſtat, vt indicem, quibus publice dicendi et vota PRO. VITA. ET. SALVTE PATRIS. PATRIAE. OPTIMI faciendi partes datae ſint. Prodibunt *quinque Selecti ordinis diſcipuli, probitate, induſtria et moribus eximii*, *IOANNES FRIDERICVS. SOMMER Windiſchleubanus*, *FRIDERICVS. AVGVSTVS. FRITSCHIVS. Altenburgenſis*, *FRIDERICVS. LEONHARDVS. ROTHIVS. Altenburgenſis*, *GOTTLIEB. FRIDERICVS PFEFFERKORNIVS. Altenburgenſis*, et *IOANNES. STEPHANVS. THEINIVS Mühlfelda - Francus.* Ex his primus verba faciet

FRIDERICVS. LEONHARDVS. ROTHIVS. Altenb. ingenii bonitate, proficiendi ſtudio morumque ſuauitate inprimis commendabilis SERENISSIMO. DVCI FRIDERICO. III. PATRI. PATRIAE. OPTIMO *de reditu* NATALIS. EXOPTATISSIMI *demiſſiſſime gratulaturus.* Orat. Gallica.

IOANNES. FRIDERICVS. SOMMER. Windiſchleub. hunc excipiens, probitate, induſtria et attentione nulli ſecundus, *Prouidentiam diuinam circa religionem Euangelicam* venerabitur Orat. Latina.

PRIDERICVS. AVGVSTVS. FRITSCHIVS. Altenb. ob pietatem, modeſtiam et diligentiam omnium fauore dignus de *Religione Euangelica* PRINCIPVM *vitam et regnandi libertatem cuſtodiente* diſſeret. Orat. Germ,

IOANNES. STEPHANVS. THEINIVS. Mühlfelda - Francus, pius, modeſtus et inprimis Graecarum litterarum amans, *Senectutem boni PRINCIPIS bonum ſignum in re publica eſſe oſtendet* Orat. Graeca.

GOTTLIEB. FRIDERICVS. PFEFFERKORNIVS. Altenb. Probus, indefeſſus et laetos progreſſus faciens adoleſcens. *Incrementa ſcientiarum artiumque his praeſertim temporibus cura et munificentia PRINCIPVM amplificata* canet. Carm. Latino.

Omnes vota deuotiſſima adiicient, quae DEVS audiat atque vt ſaepe iterari poſſint faciat.

MAECENATES. CVRATORES. FAVTORESQVE. Illuſtr. Gymnaſii vt *CRAS. AVDITA. POST. MERIDIEM. HORA. IV. in maiore Auditorio* dicturos praeſentia Sua honorificentiſſima atque exoptatiſſima dignari velint, qua decet pietate atque obſervantia rogantur.

(*n*) conf. GOTTER. in *Elogiis.* p. 51.   (*o*) IDEM. l. c. p. 50. ſq.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-731707-p0006-4

Wf 1725. 4°

VD18

ULB Halle 3
006 753 418

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-731707-p0007-9

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-731707-p0008-5

DE

SVMMIS. SERENISSIMAE. GENTIS. ERNESTINAE

IN. REM. ALTENBVRGENSIVM. SCHOLASTICAM

MERITIS

PROGRAMMA. XIIII

QVO

AD

SERENISSIMI. PRINCIPIS. AC. DOMINI

DOMINI

FRIDERICI. III

DVCIS. SAXONIAE

IVLIACI. CLIVIAE. MONTIVM. ANGRIAE. QVOQVE. ET

WESTPHALIAE. LANDGRAVII. THVRINGIAE. MARCHIONIS. MISNIAE

PRINCIPIS. COMITIS. HENNEBERGAE. COMITIS. MARCAE. ET

DYNASTAE. RAVENSTEINII

ET. TONNAE

PR C. DOMINI. NOSTRI

CLEMENTISSIMI

ATRIAE. OPTIMI

L. MAII. cIↃ IↃ CCLXVIII

VOTVM. OMNIVM

RIME. REVERSVM

NA AXIME. LAETABILEM

CRAS

T. MERIDIEM. HORA. IV

YMNASIO. FRIDERICIANO

CONCELEBRANDVM

PER ISSIMI. EXCELLENTISSIMI. AMPLIS

ATQVE. VRBIS. PROCERES

ATES. MAXIMI

YMNASII. GRAVISSIMI

RAE. SCHOLASTICAE. FAVTORES

EXOPTATISSIMI

VT

QV DINIS. IVVENES. EXIMIAE. INDOLIS

ATIA. AC. BENEVOLENTIA. DIGNOS

VROS. ET. VOTA. FACTVROS

ET. BENIGNE. AVDIANT

AC. DECENTER. INVITANTVR

A

M. TFRIDO. MOERLINO

FRIDERICIANI. DIRECTORE

SOCIETATIS. COLLEGA. HONORARIO

GI. EX. OFFICINA. RICHTERIA.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-731707-p0009-4